



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XXX. Extirpandæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

mentem, ad Concilij provincialis cognitionem, tunc secus dicendum foret. Quod verò attinet ad absolutiones, habemus generalem regulam in c. super 29. de sententia excommunicationis, si conditor Canonis absolutionem sibi specialiter non retinuit, alijs concessisse censetur.

Notandum quintò. Post Apostolicam Romanam Sedem tempore hujus Concilij, aliæ quatuor, eæque propriæ Sedes Patriarchales numerabantur: Constantinopolitana, Alexandrina, Antiochena & Ierosolymitana, c. antiqua 23. de privilegijs. Vide, quæ docui lib. 1. tract. 4. c. 7. n. 4.

CAPITULUM XXX.

Extirpandæ.

PARAPHRASIS.

Queritur Innocent. III. in Concilio Generali c. 6. quòd in quibusdam Provincijs pessima consuetudo obtinuit, ut Patroni Ecclesiarum Parochialium, & aliæ personæ quædam, proventus Parochiarum sibi penitus vendicantes, Presbyteris inibi constitutis, tam exiguam portionem relinquunt, ut congruè se nequeant sustentare; & compertum erat, quòd in quibusdam regionibus parochiales Presbyteri, seu Parochi, non nisi quartam quartæ, id est partem decimam sextam decimarum perciperent, unde fit, ut in his regionibus penè nullus inveaiatur Parochus, qui ullam, vel modicam literarum scientiam habeat; cum itaque os bovis triturantis ligari non debeat Deutr. c. 15. v. 4. & qui altari servit, cum de altari vivere deceat 1. Cor. 9. v. 15. statuit Concilium, ut non obstante, seu Episcopi, seu Patroni, seu alterius personæ consuetudine, Presbyteris, seu curatis parochiarum, portio sufficiens assignetur.

SUMMARIUM.

1. Non valet consuetudo, ut parochiales proventus, Patroni, vel alij, quibus

incorporata sunt tales parochiales Ecclesia, accipiant, & Vicario, qui curam animarum habet, vix congruam sustentationem relinquunt.

2. Et hinc ad talia beneficia vix repertiuntur idonei.

3. Equiparantur quidem in jure scientia modica Parochi, & nulla, sæpe tamen damnosiores sunt, qui modicam scientiam habent, quam qui nullam.

Notandum primò. Non valet consuetudo, si alicubi introducitur, ut Ecclesia parochialis Patronus, Episcopus, vel alius v. g. cui parochia incorporata est, proventus parochiales accipiat; Rectori verò, aut Vicario, qui curam animarum sustinet, congruæ sustentationis portio non relinquatur: nam talis consuetudo repugnat sacris Canonibus, & primævæ beneficiorum, decimarum, aliorumque proventuum parochialium institutioni (quippe cum ij principaliter dentur à fidelibus ad sustentationem ministrorum, divina ipsi præbentium, atque spiritualiter pascendum) denique etiam naturali justitiæ, cum operarius dignus sit mercede sua Luc. 10. v. 7.

Notandum secundò. Si beneficia, & vicaria, maxime curam animarum habentia, nimis tenues redditus habeant, non reperitur viri docti & idonei, qui ea suscipere velint, unde magnum Ecclesiæ damnum provenit.

Notandum tertio. Si scientia Parochi, seu curam animarum habentis, exigua sit, perinde ferme est, ac si nulla sit: quare ait Abb. hic n. 3. quòd modica, & nulla prudentia equiparantur; imò addit, quòd prudentia modica damnosior sit, quia ducit hominem in errorem, quando aliquid sciens, & non totum, ac plene prudentiæ, seu potius ignorantia suæ fidem habet; at verò, qui omnino ignorans est, alios consulit, & errorem declinat, idque observandum adversus eos, qui postquam unum vel alterum annum Theologiæ, aut Juri Canonico operam dederunt, curæ animarum, vel audiendis confessionibus se applicant, neque

neque modicam scientiam suam, ex privato labore, & exercitatione augere student, sed in otio perdunt.

§. Qui verò.

PARAPHRASIS.

Qui parochialem Ecclesiam obtinet, eam per se ipsum, non per Vicarium, administrare debet, eo suscepto Ordine, quem tale curatum beneficium requirit, præterquam, si parochialis Ecclesia dignitati, vel præbendæ Cathedrali, vel Collegiatae Ecclesiæ annexa, sive unita sit; hoc enim casu concessum est ei, qui talem dignitatem, vel præbendam obtinet, ac proinde in majore Ecclesia residere debet, ut in Ecclesia parochiali idoneum, & perpetuum, seu canonicè institutum Vicarium habeat, qui ut supra dictum, congruentem ex ejusdem parochiæ proventus portionem percipiat; alioquin is, qui talia facere negligit, parochia ipso jure privatus existat, ita ut liberè conferri possit, ac debeat alteri, qui velit, & possit, quod dictum est, adimplere. Id porro penitus prohibetur, ne quispiam ex proventus Ecclesiæ parochialis pensionem alteri, beneficij loco, in fraudem conferat.

SUMMARIUM.

1. Beneficia curam animarum habentia speciali ratione residentiam personalem requirunt.
2. Et quamvis nullà consuetudine introduci possit, ut nec per se, nec per Vicarium in beneficijs curatis Rector resideat.
3. Potest tamen per consuetudinem immemorabilem ex causa rationabili personalem Rectoris residentiam, in beneficio curato abrogari, ita ut sufficiat per Vicarium residere.
4. Quin imò consuetudine introduci potest, ut nec per Vicarium residere

quis teneatur, in beneficijs quibusdam non curatis.

5. Promovendus ad beneficium, Ordinem habere debet, quem requirit beneficium, vel saltem intra annum Ordinem requisitum recipere.
6. Potest Ecclesia parochialis accessoriè aniri dignitati alicui, aut præbendæ Canonicali.
7. Qui plura diversarum Ecclesiarum beneficia, residentiam personalem requirunt, canonicè obtinet, debet in digniore residere.
8. Unde desumendum, quòd unum altero beneficium dignius sit.
9. Qui obtinet Ecclesiam parochialem, aut præter illam præbendam aliquam Canonicalem, si ei nec personaliter deserviat, nec per Vicarium sufficientem, privatus ipso jure est Ecclesiæ Parochiali.
10. Ita ut Ordinarius possit, independenter à Rectore talis Ecclesiæ, Vicarium instituere.
11. Utrum poena talis privationis requiratur prævia monitionem.
12. Si tamen officio suo satisfacere impotenter velit, & fructus ob non præstitum officium malè perceptos restituere, retinere potest beneficium, in quo Canonicè institutus fuit.

Notandum primò. Beneficia habentia curam animarum speciali ratione residentiam personalem requirunt. Prout dixi in c. 2. de Clericis non residentibus. Atque in ea re ab inferioribus Papà dispensari non posse, nisi ad breve tempus, & ex rationabili causa, habetur in c. licet. 13. ubi id docui de electione in 6. Dixi autem personalem residentiam requiri, ita ut non satisfaciat, qui per alium, seu Vicarium, beneficio curato deservit, prout latè tradit Trident. sess. 23. c. 1. de reform. & docui lib. 4. tract. 2. c. 6. q. 2. Nam decet, ut proprius pastor ipsemet invigilet gregi sibi commisso, & non alteri, tanquam mercenario, committat.

Accedit

Accedit, quod in operis artificialibus, & executionibus, ad quas ingenium, industria, aut sollicitudo requiritur, censetur electa industria persona, ita ut operâ vicariâ uti, & liberare se promissor non possit. *L. inter 31. ubi Bart. & Gloss. ff. de solutionib. c. ult. §. 13. autem. de officio delegati.* Qua ratione resolvunt DD. in *cit. L. inter. & apud Ioan. And. in Reg. qui per alium lib. 6. decretal.* quod Doctor obligatus docere alium, nisi manifestum sit, esse æquè, aut magis idoneum, substituere non possit, secluso necessitatis casu.

2 Quæritur, utrum per consuetudinem immemoriam introduci possit, ut in beneficijs, suapte natura, aut institutione, residentiam postulantibus, non resideatur, supposito, quod duplex sit residentia, una personalis & propriè dicta, altera per Vicarium, Resp. & dico primò. Nulla consuetudine introduci potest, ut in curatis beneficijs Rector, nec per se, nec per Vicarium resideat. Probatum ex eo, quia nemo gregis curam gerere potest, eamque spiritualiter pascere, nisi præsens sit, vel aliquem habeat præsentem, saltem ita in propinquo, ut commodè, & sine periculo advocari possit.

3 Dico secundò. Per consuetudinem immemoriam ex causa rationabili introduci posse videtur, ut in curato beneficio Rector personaliter non resideat, sed per Vicarium administret, dummodo id, spectatis circumstantijs, fieri possit sine notabili gregis detrimento. Ita *Abb. hic n. 8. & in repetit. huius §. n. 12. Imola hic n. 13. atque ex Navar. docui lib. 4. tract. 2. c. 6. n. 11.*

4 Dico tertio. In beneficijs simplicibus, & dignitatibus quibusdam non curatis, per consuetudinem introduci potest, ut ne per Vicarium quidem resideatur, dummodo per hoc paucitas ministrorum & diminutio cultus divini non introducat, ita ut consuetudo Ecclesiæ noxia videatur. Ita *Abb. cit. n. 8.*

Notandum secundò Qui promovetur ad beneficium, debet esse insignitus eo Ordine, quem ipsum beneficium postulat, v. g. Sacerdos esse, si curatum beneficium consequatur. Id verò posterioribus iuribus mutatum fuit, ut sufficiat, quod provisus intra annum à die provisionis numerandum talem Ordinem suscipiat, ut docui in *c. cum in cunctis §. inferiora de electione, & habetur in Clement. 2. de atate, in c. licet 14. de electione in 6.* Vide etiam, quæ docui *lib. 4. tract. 2. c. 14.*

Notandum tertio. Ecclesia parochialis accessorie uniri potest alicui dignitati, vel præbendæ canonicali. consentit capitulum *exposuisti 33. hoc tit. & c. super 6. eodem in 6.* Veruntamen talis unio Episcopis jam prohibita est in *Trident. sess. 24. c. 13. de reformatione, & docui in cit. tract. 2. c. 9. n. 5.* Dixi autem, accessorie; quia quando parochialis Ecclesia unitur, v. g. Decanatu, aut Canonici Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiata, censetur beneficium accessorium, ita ut sequatur naturam, & proprietates principalis beneficii, cui annexum est, prout fusiùs explicavi in *cit. c. 9. n. 2.*

Notandum quarto. Qui duo diversarum Ecclesiarum beneficia, quorum utrumque residentiam postulat, canonicè obtinet, is in majore, seu digniore Ecclesia residere debet. Ita habetur in *hoc cap.*

Ubi nota, quod non dicatur, præbendam Ecclesiæ Collegiata secundum se digniorem esse, quam sit plebania, seu beneficium curam animarum habens; sed quod ipsa Ecclesia Collegiata dignior sit, quam parochialis. At verò propter accessionem, seu quatenus præbenda residet in Ecclesia digniore, etiam ipsa præbenda censetur dignior plebania, seu beneficio curato; quod vel ex eo colligitur, quia beneficium parochiale, seu plebania annexa est canonicali præbendæ, atque annexum, seu accessorium, minus dignum censei debet, quam principale juxta *Reg. Gloss. in c. 3. de consecratione Ecclesiæ.* Quod magis dignum trahit ad se minus dignum.

Quam

Quam ob rem etiam *Abb. in repetit. hujus §. n. 7.* docet, quod regula illa, si duo diſparata concurrant, habenda ratio eſt principaliori, explicari debeat, ſi ea abſolute, atque æqualiter concurrant. Sic v. g. citatus à duobus iudicibus, cum ad utrumque accedere non poteſt, præferre debet digniorem *argum. c. qui reſtit. 97. cauſa n. 9. 3.* & Clericus, in duabus Eccleſiis intitularus, ſi reliqua paria ſint, reſidere debet in digniore; at verò, ſi unum acceſſoriè veniat, quamvis ſecundum ſe, & abſolute dignius ſit, induit tamen quodammodo naturam principalis ſui, & vice verſa, quod minus dignum eſt, acceſſione ad dignius etiam tale efficitur. *argum. c. ex litteris 7. de jure patronatus,* ubi jus patronatus, quod eſt dignius, quatenus eſt acceſſorium prædio, unà cum prædio vendi poteſt, & iuſtit. de rerum diviſ. §. ſi tamen alienum. ubi habetur, ſi alienam purpuram veſti ſua quis intexuerit, licet prætioſior ſit purpura, tamen acceſſionis vice eam cedere veſti, ideòque, qui dominus eſt veſtis, etiam purpuræ dominum fieri. Sic & in propoſito caſu, licet beneficium ſimplex canonicale abſolute ſpectatum minus dignum ſit, quam beneficium curatum, quippe cujus officia, ſeu munera præſtantiora ſunt, tamen quatenus Canonicatus pertinet ad Eccleſiam cathedralè, vel collegiatam, & ſic acceſſoriè conſideratus dignior eſt beneficio parochiali, ideòque hoc illi uniri poteſt; & iterum, licet parochiale beneficium ſecundum ſe, & ex objecto dignius ſit, quam Canonicatus ſimplex, quatenus tamen ſpectatur, ut annexum canonicatui, minus dignum cenſetur, ideòque principalis ſui tanquam dignioris naturæ, & proprietates ſortiri debet.

Notandum quintò, Obrinens Eccleſiam parochialem, ſi ei perſonaliter non deſerviat, vel obtinens dignitatem, aut præbendam, cui parochialis Eccleſia annexa eſt, ſi imbi Vicarium idoneam, cum ſufficiente portione, inſtitui non faciat, parochiâ ipſo jure privatus exiſtet, ita ut alicui conferri

debeat. Ita hunc locum intelligit *Innocent. hic n. 2. Imola n. 14. Abb. in repetit. n. 18. contra Gl. hic. V. privatam* & alios, qui pœnam hanc privationis ad primum tantum caſum, alij verò tantum ad ſecundum referunt. Verum ad utrumque caſum eſſe referendum probatur. Nam elauſula poſita in fine, tamenſi odioſa ſit, refertur ad omnia præcedentia. *argum. e. cum in cunctis. §. inferiora de electione, & eſt textus in c. inſtitutioni 71. de appell. & ex communi docet Bart. in L. talis 33. §. ult. de legat. 3. Gabriel lib. 6. conſul. ubi de clauſ. con. 9.* afferens plures limitationes; præcipuæ ſunt hæc. Si ad præcedentia commode referri non poſſit; ſi præcedentia ſeparatam materiam contineant, propriamve clauſulam, atque determinationem habeant, vel jurium correctio induceretur, ſi ad præcedentia conferri debeat. Vide, *qua dixi in c. ſecundo. 41. de appell. & qua dicuntur in c. cum dilecti. 6. de donationibus.*

Accedit ratio, cur hæc ita ſtatutum fuerit; cum enim beneficium omne confeſatur propter officium *c. ult. de reſcriptis in 6.* ideò, ſi Clericus officium non præſtet, ſeu id non faciat, quod ratione beneficii poteſt, ac debet, beneficium retinere nequit, ſed locus eſt conditioni, ſive repetitioni, tanquam dati ob cauſam cauſâ non ſecutâ. *lib. 12. ff. tit. 4.*

Quæres primò. Quo modo v. g. Decanus, aut Canonicus, cujus præbendæ parochia eſt unita, ſi Vicarium inſtitui non curet, parochiali beneficio privatus exiſtat, cum ea non adhæreat perſonæ, ſed dignitati, aut canonicatui, delictum autem perſonæ Eccleſiæ, vel beneficio obefſe non debet. Reſp. ex communi, ipſum Rectorem principalem jure ſuo privari, quoad vitam ſuam, ita ut interim Ordinarius parochum abſque dependentia à Decano, vel Canonico illo inſtituere debeat; poſt mortem verò, aut depoſitionem Decani, ſeu Canonici jus integrum ad Suceſſorem in dignitate, vel præbenda devolvitur.

○

Quæres

11 Quæres secundò. Num in casibus hujus capituli, Rector parochiæ, pœnam privationis, ipso jure contrahat, etiam nullâ præcedente hominis, seu Superioris monitione. Necessariam esse monitionem, docet hic *Gl. V. privatum. Innocent. n. 2. And. n. 10.* ubi generale discrimen tradunt inter pœnam, quæ ipso jure inferitur affirmativè, qui hoc fecerit, privatus sit, vel excommunicatus; & pœnam, quæ inferitur negativè, qui hoc non fecerit, privatus sit &c. & dicunt, quòd ad illam incurrendam opus non sit hominis monitio: at verò ad pœnam ex præcepto negativo, seu factum fieri prohibente, necessaria sit monitio; præterquam, si certum tempus adjiciatur, intra quod opus fieri debeat, tunc enim eo elapso tempore, si factum non sit, pœna ipso jure contrahitur juxta *e. quàm sit 6. c. licet 14. de electione in 6. c. potuit 4. de locato, ubi Gl. ait*, quòd tempus ipsum admonet. Respondeo tamen cum *Imola hic n. 14. Abb. n. 12. & in repetitione 19.* & dico primò: si pœna ipso jure, etiam nullo adjecto tempore, decreta sit non facienti, incurritur ea, quando nullo agendi obstante impedimento factum non est, quòd lex præcepit. Idem docuit *Bart. in L. in cognitione n. 4. ff. ad Sc. Syllanum*, quòd delicta, quæ fiunt omitendo, tunc dicantur esse perfecta, quando transiit tempus, in quo potuit impleri, & non est impletum, idque sumitur ex *l. 1. c. de his, quibus ut indignis &c. juncta Gl. V. reddere*, quòd hæres, qui mortem occisi non vindicavit, convictus de negligentia (quòd videlicet potuerit vindicare, & omiserit) hæreditatem fisco unà cum fructibus integris restituere debeat. Alium textum habes in *c. cupientes 16. S. h. generali de electione in 6.* Probari debet assertio ex eo, quia jussus aliquid facere, certo die non constituto, nisi ex qualitate facti, aliisve circumstantijs, aliud præsumi possit, debet id facere, cum primùm commodè potest, quemadmodum

resolvit *Duran. in speculo lib. 2. c. 1. S. seq. n. 20. Quarant. de Ordine judiciorum p. 6. ubi de imploratione judicis officij n. 64.* quòd citatio facta à judice sine die, obligat citatum, ut compareat, cum primùm commodè potest, alioquin puniri possit, tanquam inobediens, *argum. e. cum dilectis, V. præterea. de dolo.* Et debet in tali casu judex, consideratis omnibus, arbitrari, quòd jussus facere, intra tale tempus facere potuerit, & negligenter omiserit, ideò, que pœnam juris contraxerit, ita tamen, ut contra tale judicis arbitramentum reo opponere liceat, & impedimentum probare, *argum. cit. c. cupientes & notat hic Abb. n. 20.*

Dico secundò. Expedi valde & ita consuetum est, ut in tali casu judicis monitio antecedit, per quam Rector parochiæ jubetur intra tempus ipsi præfixum in beneficio residere personaliter, vel juxta alterum casum hujus capituli Vicarium inibi constituere, alioquin ipsi beneficium auferendum, & alteri conferendum est. Ita monuit *Innocent. hic & And. n. 11.* qui addunt, consultum esse, ut post elapsum tempus illud aliquamdiu expectetur, ne fortè adveniens purget moram suam, ostenso impedimento, prout dictum est in *c. ex parte 8. de Clericis non resident.* Porro hoc ipso casu alià judicis sententià condemnatoriã opus non est, sed cognitio, aut à judice declarato, quòd provilus post monitionem ipsi insinuatam, & tempus definitum non præstitit, quòd jussus erat, videlicet in beneficio non resederit, auferentur illi fructus à tempore culpabilis negligentia, atque incurta pœnæ numerando.

Limitari potest assertio, quòd monitione, aut temporis definitione opus non sit, si culpabilis omisio seu negligentia notoria sit, prout notavit *Abb. hic n. 24. Felix. in c. cum olim n. 4. de testibus.*

Dico tertio. Non placet sententia *Abbatis cit. n. 24.* quòd beneficium curatum adeptus, si residere in eo culpabiliter negligat,